

2 EPI TOMES ASTRONOMIÆ,

2. Geographiæ & Hydrographiæ seu Rei Nauticæ anima est Astronomia. Quæ enim diversis Terrarum Oceaniq; locis & plagis diversa cœlitus eveniunt, ex sola Astronomia dijudicantur.

3. Subordinatam habet Chronologiam, quia motus cœlestes disponunt tempora annosq; politicos, & signant historias.

4. Subordinatam habet Meteorologiam. Astra enim movent & incitant Naturam sublunarem & homines ipsos quodammodo.

5. Complectitur magnam partem Optices, quia cōmune cum ipsa subjectum habet, Lucem corporum cœlestium: & quia multas visus deceptiones circa mundi motuumq; formas detegit.

6. Subest tamen generi Mathematicarum disciplinarum, & Geometria atq; Arithmetica pro duabus alis utitur; quantitates & figuras considerans corporum motuumq; mundanorum, & tempora dinumerans, perq; hæc demonstrationes suas expediens: & totam speculationem ad usum seu praxin deducens.

*Quotuplex est igitur Astronomi
cura munusq;?*

Partes muneris Astronomici potissimum quinque sunt, Historica de Observationibus, Optica de Hypothesibus, Physica de causis Hypothesium, Arithmetica de Tabulis & Calculo, Mechanica de Instrumentis.

Quomodo inter se differunt?

Etsi nulla earum potest carere demonstrationibus Geometricis, quæ ad Theoriam faciunt, Numerisque, qui ad Praxin, cum sint quidam quasi sermo Geometricarum: tres tamen priores magis ad Theoriam pertinent, duæ ultimæ magis ad Praxin.